









Jahresbericht

über das

Gymnasium Carolo-Alexandrinum

zu Jena

von Ostern 1881 bis Ostern 1882.



Inhalt:

Jena,

Druck von A. Neuenhahn.

1882. Progr. Nr. 600.

De ludo Troiae
Commentatio philologica.

Scripsit

Franciscus Rasch.

Constat inter omnes, qui in antiquitatis studiis versantur, ludos publicos, primo ad deos celebrandos Romae institutos, cum pro opibus reipublicae auctis magis magisque splendore atque magnificentia exaggerarentur, propria vi et natura sensim obliterata postremo ad spectacula, quibus oculis daretur voluptas, descendisse. Quod maxime extrema liberae reipublicae primaque imperatorum aetate apparebat, nam profecto intuentes, quo apparatu, qua varietate, quo splendore magnificentiaque tum ludi sint facti, ut summa afficimus admiratione, ita iisdem, cum rationem habemus et crudelitatis, qua bestiae agitari, trucidari homines soliti sunt, et furiosi quasi studii ipsorum spectatorum, vehementissime animus offenditur. Quare summae nobis voluptati est, quod inter spectacula animi commotionum plena ludum invenimus, qui quamquam non omni carebat certamine, tamen maxime pacis praebebat rationem. Troiam dico, qui ludus equester a pueris sub armis exhibitus plus quam centum annos usu et consuetudine erat receptus, cum et apparatu specieque ludi et dignitate eorum, qui illi intererant, animi spectatorum studio et laetitia afficerentur.

Et quoniam mores populi quales tunc fuerint, nisi ludorum publicorum rationem perceptam habemus, prorsus intellegere non possumus, ejus ludi cognitionem non neglegendam esse apparet, cui imprimis summo loco nati atque ipsi reipublicae gubernatores vel maxime favebant. Ita enim imperatores e gente Iulia studebant ludo Troiae, ut haud perperam ludum Iuliorum eum iudicares.

Quae cum ita sint, non mirum est, eius ludi saepius mentionem facere rerum scriptores, plerumque autem tam paucis, ut ludus qualis esset, perspicere non possemus, nisi descriptio exstaret, quae etsi poetarum more exornata est, quin rei, qualis spectabatur, respondeat, non est dubium. Quae descriptio est in Vergili Aeneide (l. V, v. 545 ss.) nec quisquam est, quin versus illos legens incredibilem poetae paucis verbis clare depingendi artem admiretur. Sed et rei ipsius difficultate, cum sola motuum descriptio, non adumbrata lineamentis perfacile in errorem inducat, et quod omnino, nisi cui facultas quaedam inest percipiendi eiusmodi motus, minus recte intellegitur ea descriptio, mihi quidem factum videtur, ut fere omnes, qui versus illos interpretati sunt, in verbis explicandis valde errarent. Nam qui primus de hac re plenius

disseruit adiecta imagine ludi Troiae, Onuphrius Panvinius[1]) et male intellexit Vergilium aliosque veteres scriptores et de suis ad libidinem addidit. Tamen Onuphrium plerique secuti sunt, qui de ludo Troiae scripserunt. Primus sua ratione de ludo illo disseruit Goebel[2]) multoque rectius quam quicunque ante eum eadem de re disputaverunt, et Vergili verba et quae tradunt alii scriptores, intellexit. Idem de prioribus interpretationibus copiosissime disputavit et Panvinium inprimis de ludo perperam disseruisse rectissime docuit. Quae cum ita sint, ne verba eius repetam, hic omittenda videntur, quae a prioribus proposita sunt[3]).

Sed ipse Goebel cum in explicanda Vergili descriptione varie errasse mihi videatur, rem dedita opera retractare haud alienum est visum. Placet igitur ita disputare, ut primum quae in universum de ludo Troiae commemoranda videntur, in medium proferam, deinde ludum, qui in Aeneide est, paulo accuratius describam.

Atque ut ab historia ludi Troiae exordiar, primum eum a Sulla dictatore editum vel repetitum esse Plutarchus testis est his verbis[4]): *Οὕτω δ᾽ ἦν* [Cato] *περιβόητος, ὥστ᾽, ἐπεὶ Σύλλας τὴν παιδικὴν καὶ ἱερὰν ἱπποδρομίαν, ἣν καλοῦσι Τροίαν, ἐπὶ θέαν διδάσκων, καὶ συναγαγὼν τοὺς εὐγενεῖς παῖδας, ἀπέδειξεν ἡγεμόνας δύο, ὧν τὸν μὲν ἕτερον οἱ παῖδες ἐδέξαντο διὰ τὴν μητέρα (Μετέλλης γὰρ ἦν υἱός, τῆς Σύλλα γυναικός) τὸν δ᾽ ἕτερον, ἀδελφιδοῦν ὄντα Πομπηΐου, Σέξτον, οὐκ εἴων, οὐδ᾽ ἐβούλοντο μελετᾶν, οὐδ᾽ ἕπεσθαι. Πυνθανομένου δὲ τοῦ Σύλλα, τίνα βούλοιντο, πάντες ἐβόησαν· Κάτωνα. Καὶ ὁ μὲν Σέξτος αὐτὸς εἴξας παρῆκεν ὡς κρείττονι τὴν φιλοτιμίαν.* Sulla igitur ipse Troiam redintegravit et edendam curavit. Quod anno urbis 673, cum ludi maximi ederentur, factum videtur; qui ludi ut quotannis celebrarentur lege Cornelia de ludis victoriae instituendis est constitutum, quare mihi quidem non dubium videtur, quin ludus Troiae quoque annis proximis aliquoties commissus sit. Certo tamen testimonio non prius quam Caesaris aetate occurrit neque id mirum est consideranti, qui fuerit post Sullae mortem status reipublicae, cum tumultibus perturbata ludi ad celebrandam nobilitatem edendi vel minime facultatem daret. Caesarem autem confectis bellis quinquiens triumphantem spectacula varii generis edidisse, in his ludum Troiae, legimus et apud Suetonium [illegible] et apud Dionem Cassium [illegible].

Erat enim Caesari non minus causae, cur huic ludo faveret, quam Sullae. Huius, cum nobilitatem in [illegible] condicionem relaturus esset, magni [illegible], quaecumque huius [illegible] honorem augere possent, in medium proferre, neque [illegible] Troiam [illegible] ludum illum

[illegible]

‚prisci decorique moris‘, videtur redintegrasse. Caesaris autem, cum genus duceret ab Iulo, Aeneae filio, non minus intererat eum fieri ludum, quem ab Iulo, generis auctore, esse institutum omnium erat opinio.

Eadem de causa imperatores e gente Iulia ludum Troiae tamquam familiae proprium saepissime ediderunt, id quod de Augusto Suetonius narrat [1]). Ab eodem Augusto vel auspiciis eius Troiam esse commissam etiam prius quam imperium ad eum erat delatum, saepius apud rerum scriptores legimus. Ita M. Vipsanius Aprippa, amicissimus Octaviani, cum anno urbis 715 praetor esset iussuque Octaviani absentis ludos Apollinares exhiberet nec minus anno 721, cum ultro aedilis factus esset, in ludis edendis etiam Troiam tamquam ludum gentis Iuliae celebrandam esse statuit. Quod Dio Cassius commemorat non omittens, qua liberalitate vel minimas res ludorum auctor suo sumptu comparaverit [2]). Praeterea alii occurrunt loci in Dionis historia rerum Romanarum, quibus saepius Augusti aetate Troiam esse exhibitam apparet [3]). Etiam Vergilianam illam ludi descriptionem (Aen. V, 545—602), quamquam poetice ad aetatem heroicam refertur, tamen re vera ad Augusti tempora eorumque morem accommodatam esse statuendum est.

Augustum igitur saepissime Troiam edidisse ex eis, quae attuli, satis patet; neque minus, ut supra commemoravi, ceteri imperatores e gente Iulia ludicrum Troiae curaverunt atque ipsi puerili aetate socii solebant esse ludi, cuius rei ut testimonia veterum proferam, primum Suetoni verba de Tiberio transcribo [4]): ‚Praesedit et Actiacis ludis et Troianis Circensibus ductor turmae puerorum maiorum [erat]‘. De Caligula et Suetonius [5]) et Dio Cassius [6]) testes sunt. Claudii quae cura fuerit ludi Troiae, ex libris et Suetoni [7]) et Taciti [8]) cognoscimus.

---

1) Suet. Aug. 43: Sed et Troiae ludum edidit frequentissime maiorum minorumque puerorum delectu, prisci decorique moris existimans, clarae stirpis indolem sic notescere.

2) Dio Cass. 48, 20: *Ἐστρατήγει γὰρ* [Agrippa] *καὶ ἄλλα τε πολλὰ, ἅτε καὶ πάνυ φίλος ὢν τῷ Καίσαρι, ἐλαμπρύνατο, καὶ τὴν ἱπποδρομίαν ἐπὶ δύο ἡμέρας ἐποίησε, τῇ τε Τροίᾳ καλουμένῃ διὰ τῶν εὐγενῶν παίδων ἐγαυρώθη.* ibid. 49, 43: *Καὶ προσέτι καὶ ἔλαιον καὶ ἅλας πᾶσι διέδωκε· τά τε βαλανεῖα προῖκα δι’ ἔτους καὶ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναιξὶ λούεσθαι παρέσχε· καὶ τοὺς κουρέας ἐν ταῖς πανηγύρεσιν, ἃς πολλὰς καὶ παντοδαπὰς ἐποίησεν, ὥστε καὶ τοὺς τῶν βουλευτῶν παῖδας τὴν Τροίαν ἱππεῦσαι, ἐμισθώσατο, ἵνα μηδεὶς μηδὲν αὐτοῖς ἀναλώσῃ.*

3) Dio Cassius 51, 22: *τῷ τοῦ Ἰουλίου ἡρῴῳ ὁσιωθέντι τότε ὑπῆρξε. — ἐν δ’οὖν τῇ τοῦ ἡρῴου ὁσιώσει, ἀγῶνές τε παντοδαποὶ ἐγένοντο, καὶ τὴν Τροίαν εὐπατρίδαι παῖδες ἵππευσαν.* ibid. 53, 1: *τὴν ἱπποδρομίαν διά τε τῶν παίδων καὶ διὰ τῶν ἀνδρῶν τῶν εὐγενῶν ἐποίησεν.* ibid. 54, 26: *μετὰ δὲ δὴ ταῦτα τό τε θέατρον τὸ τοῦ Μαρκέλλου καλούμενον καθιέρωσε· κἀν τῇ πανηγύρει τῇ διὰ τοῦτο γενομένῃ τήν τε Τροίαν οἱ παῖδες οἱ εὐπατρίδαι οἵ τε ἄλλοι καὶ ὁ ἔγγονος αὐτοῦ ὁ Γάϊος ἵππευσαν.*

4) Sueton. Tiber. 6.

5) Sueton. Calig. 18: Edidit et circenses plurimos a mane ad vesperam, interiecta modo Africanarum venatione modo Troiae decursione.

6) Dio Cass. 59, 7: *Ἐκ δὲ τούτου τὸ ἡρῷον τὸ τοῦ Αὐγούστου ὡσίωσε, — θέαι τε παντοδαπαὶ ἐγένοντο. — καὶ οἵ τε εὐγενεῖς παῖδες τὴν Τροίαν ἵππευσαν.* ibid. 52, 11: *οἵ τε εὐγενεῖς παῖδες τὴν Τροίαν περὶ τὸν τάφον αὐτῆς* [Drusillae, sororis Gai Caligulae] *περιΐππευσαν.*

7) Suet. Claud. 21: Circenses frequenter commisit. — Ac super quadrigarum certamina Troiae lusum exhibuit et Africanas. —

8) Tacit. Annal. XI, 11: Sedente Claudio circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Troiae inirent, interque eos Britannicus imperatore genitus et L. Domitius adoptione mox in imperium et cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium loco praesagii acceptus est.

Omnium vero maxime Troiae studio incensus erat Nero, quippe qui et ipse a pueritia ludicro interesset idque summo favore spectatorum, cuius rei et Tacitus l. l. mentionem facit et Suetonius his verbis[1]): ‚Tener adhuc necdum matura pueritia Circensibus ludis Troiam constantissime favorabiliterque lusit'.

His expositis satis apparet, aetate imperatorum e gente Iulia saepissime summoque studio editum esse ludum Troiae neque minus, diligentissime scriptores memorasse, quantam et curam et diligentiam singuli imperatores huic ludo impertiverint. Quae cum ita sint, nonne mirum videtur, quod iidem scriptores, ubi ad vitas ceterorum imperatorum enarrandas transierunt, quamquam copiosissimi saepe sunt in enarrandis circensibus, Troiam ne verbo quidem commemorant, quasi cum decessu Iuliorum etiam Troiae ludus evanuerit? Et re vera ludum etsi aetate posteriore omnino non editum esse nullo modo confirmari potest, tamen raro neque eodem studio quo antea factum esse apparet. Quin etiam vix nomen ludo mansit, si quidem Servio[2]) fides habenda est, qui hoc Suetoni fragmentum profert: ‚Lusus ipse, quem vulgo Pyrrhicham vocant, Troia vocatur'. Suetoni igitur aetate ludum Troiae non prorsus illum quidem evanuisse, sed immutata priore specie et forma rententum esse conicere licet, cum aliter si statuas, qui potuerit fieri, ut Troia cum pyrrhicha, ludo longe alio, confunderetur, intellegi nequeat.

Nec vero audiendi sunt, qui ludicrum equestre, quod in Claudi Claudiani Panegyrico in sextum consulatum Honorii (v. 621—635) describitur, idem esse atque Troiam putant. Cui opinioni, ut cetera omittam, illud mihi videtur repugnare, quod hoc ludicrum non celebratur a pueris. Sed accuratius de hac re disserendum erit, cum ea, quae de Vergili ludi descriptione dicenda sunt, protulero.

Iam, ut rem conficiam, iis, quae exposui, satis demonstrasse mihi videor, ludum Troiae post Iuliorum aetatem omnino fere evanuisse; quod idem vult Goebel, qui, ut opinionem suam affirmet, rectissime addit, Honorii vel Claudiani temporibus in ludis sollennibus Troiae spectandae copiam non fuisse datam, quod Servium, fere aequalem illorum, prorsus Troiam ignorasse appareat, cum Vergilium interpretaturus ad Suetonium, non ad ipsos lectores provocet, transcriptis iis verbis Suetoni, quae supra allata sunt.

Quae cum ita sint, statuendum videtur esse, per centum fere annos sive saeculo urbis octavo atque ineunte nono floruisse Troiam. Non tamen illis temporibus eam ortam, sed hominum doctorum quaestionibus ex remotissimis temporibus repetitam atque arte quadam redintegratam esse, scriptores iudicaverunt. Ita Dio Cassius dicit l. l.: *τὴν Τροίαν οἱ παῖδες οἱ εὐπατρίδαι κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐποιήσαντο.* Verba illa *κατὰ τὸ ἀρχαῖον,* cum ad ludum vel ludos Sullae auspiciis commissos referri et verborum vis et ipsa res vetet, ad tempora potius spectant multo remotiora, quibus ludum ortum esse Dio docet.

Neque Plutarchum aliter de ea re sentire ex verbis eius, quae supra attuli, facile est in-

1) Sueton. Nero 7.

2) Servius ad Aen. V, 602.

tellectu. Atque ut alio teste huius rei utar, Augustum ,existimasse prisci moris esse ludum' Suetonius narrat. Omnium vero clarissime Vergilius rem explicat his versibus, quibus haud scio an opinionem tum vulgatam eloquatur:

Aen. V 596. Hunc morem cursus atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit et Priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes;
Albani docuere suos; hinc maxima porro
Accepit Roma et patrium servavit honorem;
Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.

Ascanius igitur ludum, postquam primum ad memoriam Anchisae celebrandam edidit, cum Albam Longam muris cingeret, relatum vel redintegratum priscos docuit Latinos; a quibus Romani patrium honorem servantes acceperunt. In his falsa commixta esse cum veris, facile intellegas, si reputes, quid sibi velit opinio de ortu Troiano; nam fabulas esse, quae de Aenea et Ascanio narrantur, nemo est, qui neget. Rectissime autem ludum illum ad antiquissima relatum esse tempora et Sullam, Caesarem, Augustum, cum instituerent, priscum secutos esse morem, fortasse Varronis quaestionibus revocatum, nostra aetate demonstravit vir doctissimus Klausen, qui sagaciter de origine atque nomine ludi Troiae quaesivit [1]). Is negat, nomen ab urbe ad Idam montem sita esse ductum, quod ita si res se haberet, potius ,bellum Troianum' sive ,equus Troianus' pro simplici ,Troia' sive ,ludus Troiae' exstaret; at referendum ad verbum Latinum antiquissimum troandi sive truandi, quod idem sit atque agitare (cf. Fest. s. v. antroare et redantroare) et cogitandum esse de agitatione equorum, quorum per Latii iacentia et plana loca maxima fuerit et copia et cura. Ab verbo troandi autem deductum esse substantivum ,troa' et adiectivum ,troius', hinc ,troia', cui mente addendum sit aut turba aut arena. Posteriore quidem tempore, cum fabulae de ortu Troiano gentis Romanae pervulgatae sint, nomen troiae, quod ludum equitumque motus significaverit, cum nomine Troiae urbis esse confusum; quae ne confunderentur, ubi primum nomen Latinum comparari coeptum sit cum clarissimo Graecorum nomine, minime impedimento fuisse, quod in nomine ludi, cum ad verbum trŏandi spectet, littera o corripiatur, in nomine urbis producatur [2]).

Ita rectissime Klausen et nomen esse Latinum et ludum Latinae originis demonstrasse mihi videtur; sed quod proprium et peculiare est huius ludi, a pueris cur sit exhibitus iisque nobilissimis, interpretatione illa non est explicatum.

Quod ut explanemus, res militaris, qualis priore urbis aetate fuerit, nobis respicienda est. Iam primum satis notum est, censu Serviano omnes cives in classes centuriasque esse descriptas eorumque locupletissimos equitum effecisse centurias duodeviginti atque equites, cum sub signis

---

1) Klausen, Aeneas und die Penaten [Hamburg 1840] II, 820 ss.

2) Non alienum videtur, hic commemorare nostrum ,Turnei' sive ,Turnier', quod simili ratione atque troia a verbo troandi ductum est a verbo turnieren, id est Francogallorum tournoyer (drehen, wenden). — Eodem pertinet nostrum ,turnen', quod ad antiquissimum verbum ,turnan' (wenden, kehren) est referendum.

retinerentur etiam in pace, frequentibus exercitiis ad proelia esse paratos[1]). Quae cum ita sint, nihil habet offensionis statuere, filios quoque adulescentes civium illorum nobilissimorum diebus festis atque sollennibus in publicum prodeuntes motus equestres exercuisse suoque exemplo docuisse, se non esse indignos, qui aliquando patribus in munere equitum fungendo succederent. Atque inprimis lustris, cum census haberetur populusque expiaretur, pueros nobilissimos et ad deos honorandos et ad exhibendum ipsorum usum exercitium suum fecisse equidem existimo. Neque deest certum testimonium, quo haec opinio confirmetur, nam apud Senecam legimus haec[2]):

— nec, stato lustri die
Sollenne referens Troici lusus sacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages.

In his verbis quod Seneca Astyanactem puerum ludum Troiae facit celebrantem, nullius est momenti, cum vulgarem opinionem secutus ludum ad Troianos referat; lustrum autem quod commemorat, quo tempore ludus sit exhibitus, vel maxime est observandum, nam mihi quidem persuasum est, eum nisi auctoritatem investigatoris rerum antiquarum, velut Varronis, secutum hoc non relaturum fuisse.

Quibus expositis satis liquet, cur pueri iique nobilissimi ludum commiserint et cur Troia sollenne sacrum sive *ἱερὰ ἱπποδρομία* appellata sit. Quid? quod numerus puerorum, quos triginta sex cum tribus ductoribus fuisse apud Vergilium legimus, ad numerum centuriarum referri posse videtur, cum tres centurias equitum institutas ab Romulo, duodecim ex primoribus civitatis a Servio scriptas esse memoriae traditum sit[3]). Sed hanc rem, quoniam certis argumentis confirmari non potest, in medis relinquamus. Pro certo vero habendum est, posteriore tempore, cum equitatus nullius momenti esse coepisset, ludum Troiae sensim evanuisse, Sullam autem arte quadam innovatum in ludis publicis edidisse.

At bene statues, hac aetate, cum redintegratus ludus exstaret, neminem fuisse, qui de propria vi vocis trŏiae recte iudicaret aut obsoletam omnino nosset, cum omnes et scriptores et poetae veteres, ubi de ludo illo memorant, Trōiam respiciant. Ita Vergilius plane dicit: ‚Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen'. (cf. Aen. V, 599 Trōia pubes; Seneca Troad. III, 782 Troicus lusus). Neque deest causa, cur statuamus, quaecunque praeterea nomina ludi proferuntur, omnia eandem sequi rationem. cf. Sueton. Calig. 18: T r o i a e d e c u r s i o, Aug. 43, Claud. 21: T r o i a e l u s u s, Caes. 39, Nero 7: T r o i a, Tiber. 6: T r o i a n i C i r c e n s e s, Tacit. annal. XI, 11: l u d i c r u m T r o i a e. Graece dicitur *Τροία* (Plut. Cato min. 3, Dio Cass. 49, 43; 48, 20 cet.). —

---

1) cf. Mommsen, Röm. Gesch. I, 93 — — ‚der Grund dieser Abweichung ist wohl darin zu suchen, dass man damals die Infanterieabtheilungen für jeden Feldzug neu formirte und nach der Heimkehr entliess, dagegen in der Reiterei Rosse wie Männer aus militärischen Rücksichten auch im Frieden zusammengehalten wurden und regelmässige Uebungen hielten, die als Festlichkeiten der römischen Ritterschaft bis in die späteste Zeit fortbestanden'.

2) Seneca Troad. III, 781 s.

3) Livius I, 43.

Satis mihi multa verba fecisse videor de origine et de nomine ludi Troiae; restat, ut quae supra significavi iam accuratius explicem, qualis fuerit et a quibus sit exhibitus ludus. Atque ut ab his ordiar, pueri iique nobili loco nati ludum inibant. Eadem re ludicrum Troiae, quod non committebatur nisi a pueris, maxime differt a ceteris ludis circensibus. Diserte et plane a scriptoribus pueri commemorantur participes ludi atque iuvenibus opponuntur. Ita Suetonius dicit[1]): ‚Circensibus, spatio circi ab utraque parte producto et in gyrum euripo addito, quadrigas bigasque et equos desultorios agitaverunt nobilissimi iuvenes. Troiam lusit turma duplex, maiorum minorumque puerorum‘. Similiter Dio Cassius pueros opponit adulescentibus[2]): *τήν τε ἱππασίαν τὴν Τροίαν καλουμένην οἱ παῖδες οἱ εὐπατρίδαι κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐποιήσαντο· καὶ ἐφ' ἁρμάτων οἱ νεανίσκοι οἱ ὁμότιμοι αὐτοῖς ἡμιλλήσαντο.* Eiusdem vero verba[3]): *τὴν ἱπποδρομίαν διά τε τῶν παίδων καὶ διὰ τῶν ἀνδρῶν τῶν εὐγενῶν ἐποίησε* non repugnant; nam *ἱπποδρομία* omne certamen equestre in circo editum significat, quare hic et ludus Troiae et cetera certamina equestria intellegenda sunt, inprimis ludi illi sevirales, qui a scriptoribus commemorantur.

Pueri igitur ad annum quintum decimum, quo anno toga virilis sumebatur, in ‚agmine Troiano‘ erant. Inferior vero aetatis terminus, quamquam certe statui non potest, tamen non infra nonum decimumve annum mea quidem sententia habendus est. Nam exercitium, cum perdifficile esset, a minoribus pueris, perpaucis exceptis, fieri non potuit. Neque mihi tanti momenti videntur esse, quae exempla rara aetatis prioris exstant, quanti Goebel l. l. facit. Nam fac Britannicum annos quinque natum, Gaium septem, Neronem novem[4]), cum ludicrum Troiae inirent, nihil ex his de aetate minorum puerorum colligi videtur posse. Patet enim, ipsa commemoratione praeter consuetudinem factum demonstrari, quod tam tenera aetate pueri interfuerint ludo neque omittendum est genus ac sanguis puerorum istorum, quibus, cum domus principalis essent, honoris atque officii causa ludo illi interesse concessum est. Quis est, qui ignoret, etiam ceteris in rebus saepissime Caesaribus iuvenibus honores esse permissos, quos alii non sint assecuti nisi suis annis, velut munus principis iuventutis, pontificis maximi, alia id genus. Neque quod poetae de aetate referunt, cum prorsus in universum sit dictum, maioris est momenti. Quid enim sibi volunt talia apposita velut parvus, parvulus, impubes, cetera? Quae non tam ad certam definiendam aetatem pertinent, quam omnino pueriles tantum annos significant.

Nonnunquam duplicem turmam maiorum minorumque puerorum simul iniisse Troiam legimus (Sueton. Caes. 39; Aug. 43; Tib. 6); qui quot annos nati fuerint, non satis liquet. Goebel annum undecimum statuit terminum prolato loco Suetoni, ubi legitur[5]): ‚Congiaria

1) Suet. Caes. 39.

2) Dio Cass. 43, 23.

3) Dio Cass. 53, 1.

4) At bene attende verba Suetoni Nero 7: ‚Tener adhuc necdum matura pueritia circensibus ludis Troiam constantissime favorabiliterque lusit. Undecimo aetatis anno a Claudio adoptatus est‘.

5) Suet. Aug. 41.

populo frequenter dedit — ac ne minores quidem pueros praeteriit, quamvis nonnisi ab undecimo aetatis anno accipere consuessent'. Minores igitur pueros Goebel vult esse infra annum undecimum neque sine veritatis specie, quamquam causa allata minus valet, illum annum terminum statuit. Recte minores iudicantur pueri, qui annum undecimum nondum ingressi sunt, maiores, qui hunc annum excesserunt.

Iterum autem monendum puto, ne pueros minores perpaucis exceptis ante annum nonum ludum iniisse statuas, sed eos novem decemve annorum, maiores tredecim et quattuordecim fuisse equidem existimo.

Atque haec quidem hactenus; iam de genere puerorum disserendum est. Nobilissimos eos fuisse, ex iis, quae supra dixi, satis patet; neque imperatorum filii atque propinqui defuerunt Troiae, velut Gaius, Augusti nepos (Dio 54, 26), Tiberius, Nero (Suet. Tib. 6, Nero 7), Britannicus, L. Domitius (Tacit. Annal. XI, 11). Sed ceteri quoque, qui ludo intererant, honesto loco erant nati; errant tamen, qui solos patriciorum filios ludum edidisse dicunt[1]). Priscis quidem temporibus rem ita se habuisse ex iis, quae supra de origine ludi disserui, recte statuas; Iuliorum vero aetate redintegrato ludo non tam filii patriciorum quam honesto loco nati fecerunt Troiam. Quare a Dione Cassio et εὐπατρίδαι et εὐγενεῖς, a Plutarcho item εὐγενεῖς, a Tacito nobiles dicuntur. Atque eorum, qui nominatim a scriptoribus commemorantur, nonnullos gente plebeia ortos esse constat: C. Nonius Asprenas, Aeserninus (Suet. Aug. 43), M. Porcius Cato, Sextus Pompeius (Plut. Cato min. 3). Neque perperam conferri videtur, quod Suetonius de Augusto memorat[2]): ,Amicos ita magnos et potentes in civitate esse voluit, ut tamen pari iure essent quo ceteri'.

Uno loco, ubi de ludis circensibus ab Agrippa anno 721 editis mentio fit, senatorum filios iniisse Troiam legimus (Dio Cass. 49, 43); nimirum hoc eo consilio factum est, ut splendor solito maior illi ludo tribueretur. —

Puerorum, qui Troiam inierunt, ornatus apparatusque quales fuerint, cum indiciis raris scriptorum, tum Vergili descriptione luculenter perspicere possumus. Omnes, qui ludo intererant, armis erant instructi magis quidem ad ornatum quam ad veram pugnam factis. Galea levis imposita erat capiti eaque coronata; armati autem erant duabus hastis aut pharetris nitidis et arcubus, quos quamquam non aperte commemorantur, tamen pharetras gerentibus fuisse liquet. Neque clipeos ensesque quaeque praeterea ad plenum bellatorum apparatum pertinent eis defuisse puto, atque ea omnia splendidissima et pretiosissima; nam ipsum imperatorem aliquando unicuique puerorum galeam binaque hastilia donasse legimus. (Serv. ad Verg. Aen. V, 556). Omnium vero puerorum quam simillima erat species et ,p a r i t e r lucebant frenatis in equis'. Singulare quoque ornamentum additum, ,circulus flexilis obtorti auri', quod per collum summumque pectus ibat.

Ita instructi pueri ludicrum inibant equestre ex motibus variis artisque plenis compositum,

1) cf. Lübker, Reall. s. v. Patres. — „Auch waren die Plebejer stets von den patricischen Gentilsacris und von dem Festspiel der ludi Troiani ausgeschlossen.

2) Suet. Aug. 56.

quod simul belli simulacra praebebat. Utrumque enim ludi erat proprium neque probanda est eorum sententia, qui omissis belli simulacris solum ludicrum equestre fuisse dicunt [1]). Quod satis apparet, si et ornatum atque armaturam eorum, qui ludo intererant, et verba scriptorum respicimus. Ac Vergilius, ut alia omittam, Aen. V, 673 s. haec dicit:

— galeam ante pedes proiecit inanem,
qua ludo indutus belli simulacra ciebat (cf. v. 582, 585)

Atque ut brevi complectar, sic definienda est Troia: Est ludicrum, quod pueri nobilissimi, equis insidentes armisque instructi ita edebant, ut in turmas dispositi varios inirent motus, in his pugnae simulacra cientes.

His expositis de loco, ubi ludus editus est, pauca addenda sunt. Troiam, cum esset pars ludorum circensium, plerumque in circo luserunt, cui nomen est Maximo (Suet. Caes. 39, Claud. 21). Sed alio quoque loco nonnunquam editum esse, apud Dionem legimus, qui de funere Drusillae sororis Claudii anno 791 mortuae ludisque ad sepulcrum institutis haec narrat [2]): *δημοσίας δὲ ταφῆς ὁ ἀδελφὸς ἠξίωσε· καὶ οἵ τε δορυφόροι μετὰ τοῦ ἄρχοντος σφῶν, καὶ χωρὶς οἱ ἱππεῖς τοῦ τέλους, οἵ τε εὐγενεῖς παῖδες τὴν Τροίαν περὶ τὸν τάφον αὐτῆς περιΐππευσαν.* Quae sollemnia militaris moris illis temporibus saepius facta sunt. Velut Augusto mortuo circum rogum in campo Martio exstructo equites circumvecti sunt et de Pertinacis consecratione legimus haec [3]): *οἵ τε ἱππεῖς οἱ στρατιῶται καὶ οἱ πεζοὶ περὶ τὴν πυρὰν πολιτικάς τε ἅμα καὶ ποιητικὰς διεξόδους διελίττοντες διεξῆλθον.* (cf. Herodian. V, 2). —

Restat, ut de tempore et occasione, quibus ludus exhibitus sit, quaeramus. Sunt primum certi dies festi, quibus eum factum scriptores tradunt, sollemnia saecularia, quae Iuliorum aetate ab Augusto a. 737, a Claudio a. 800 celebrata sunt, et ludi Apollinares. Illis sollemnibus inter ludos Troiam quoque esse commissam Tacitus (Annal. XI, 11) testis est; ludis Apollinaribus vero Troiam celebratam esse apud Dionem Cassium (l. 48, 20) legimus. Qua de celebratione splendidissime commissa Dio ob eam causam plenius refert, quod Sextus Pompeius, dum Agrippa absente Octaviano ludis exhibendis occupatur, expeditione in Italiam facta magna praeda potitus est. Atque occasiones quaedam commemorantur, quibus factam Troiam constat, velut funus illud Drusillae, quod anno 791 a Claudio fratre celebratum supra dixi; tum consecrationes quaedam, velut sacrarii Iulii patris ab Augusto anno 725 commissa (Dio Cass. 51, 22), et sacrarii anno 790 a Caligula divo Augusto conditi. Quae consecratio quanta magnificentia quantisque sumptibus effecta sit, intelleget, qui cognoverit, quae Dio (l. 59, 7) enarrat. Deinde ludi Actiaci primum a. 726, tum quintum quemque annum facti commemorantur a Dione (l. 53, 1), ubi est: *καὶ τὴν πανήγυριν τὴν ἐπὶ τῇ νίκῃ, τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ γενομένῃ, ψηφισθεῖσαν ἤγαγε μετὰ τοῦ Ἀγρίππου, καὶ ἐν αὐτῇ τὴν ἱπποδρομίαν διά τε τῶν παίδων καὶ διὰ τῶν ἀν-*

1) Festi definitio est haec: ‚Troia igitur lusus puerorum equestris‘, atque Onuphri Panvini: ‚Troiae sive Troianus ludus in Circo agi solitus equestris et puerilis, cet‘.

2) Dio Cass. 59, 11.

3) Dio Cass. 74, 5.

δρῶν τῶν εὐγενῶν ἐποίησεν. Postremo addenda est consecratio theatri Marcelli a. 741, qua lusum Troiae editum narrat Dio (l. 54, 26).

Quibus diebus festis quibusque sollemnibus extra ordinem celebratis praeterea Troia exhibita sit traditum non est. Aliquamdiu autem vix ullum fuisse sollemne paullo maioris momenti, quin inter alios ludos Troia ederetur, colligi potest ex iis, quae Suetonius dicit de Augusto: ‚Sed et Troiae lusum edidit frequentissime' et de Nerone: ‚Tener adhuc necdum matura pueritia circensibus ludis Troiam constantissime favorabiliterque lusit'.

Ut vero iam ad illa summa veniamus, apud Vergilium in Aeneidis libro quinto vss. 545—602 descriptio exstat ludi, qua poeta mira arte motus atque rationem illius ludi dilucidissime explicat. Quare ea verba, quibus maxime intellegi potest, quemadmodum motus illi sint instituti, accuratius contemplemur.

Ultimo certamine, quod ad Anchisen honorandum commisit, certamine sagittandi nondum misso Aeneas per Epytiden custodem rectoremque admonet Iulum, si paratum secum habeat agmen puerile cursusque equorum instruxerit, ut avo turmas puerorum adducat. Atque iam ipsos pueros splendidissima pompa spectatoribus plaudentibus in arenam equitantes poeta facit:

V. 553. Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis, quos omnis euntis
Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona;
Cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro,
Pars levis umero pharetras; it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Pueri incedunt tripertito ut totum agmen divisum sit in tres turmas vel tria agmina duodenorum puerorum, quibus turmis insidentes in equis spectatissimis singuli praevehuntur ductores. Ductorum sunt duo principum genere orti, Priami regis clarissimi nepos et Iulus Aeneae filius; tertius autem est, quem genus ipsius poetae temporibus florentissimum coluit proavum. Legimus enim apud Vergilium:

V. 560. Tres equitum numero turmae ternique vagantur
Ductores; pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent paribusque magistris.
Una acies iuvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus, tua cara, Polite,
565. Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,
Parvus Atys pueroque puer dilectus Iulo.
570. Extremus formaque ante omnis pulcher Iulus

Sidoniost invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monimentum et pignus amoris.
Cetera Trinacrii pubes senioris Acestae
Fertur equis.

Mirum est, quanta arte poeta depinxerit, quomodo pueri in arena se gesserint et quid spectatores admiratione percussi fecerint. Nam pueri ingenuo pudore simulque laetitia perfusi, quod coram multitudine in publicum prodituri sunt, totam arenam circumequitant, spectatores, dum ora atque vultus patrum spectatissimorum in filiis agnoscunt, admiratione exsultant. Ac versus ipsos legentibus non dubium est, quin descriptio rei veritatique, quam videre licuit poetae, respondeat. Quibus enim studiis Romae, cum in circo Troia committeretur, spectatores eos, qui ludum edebant, excipere soliti sint, intellegi potest ex Taciti verbis Annal. XI, 11, ubi legitur: ‚Cum pueri nobiles ludicrum Troiae inirent, interque eos Britannicus imperatore genitus et L. Domitius adoptione mox in imperium et cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium loco praesagii acceptus est‘.

Salutatione igitur facta pueri consistunt atque iam parati sunt, ut signo ab Epytide dato motus ineant. Sed poetae ipsius verba audiamus:

V. 575. Excipiunt plausu pavidos gaudentque tuentes
Dardanidae veterumque adgnoscunt ora parentum.
Postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis, signum clamore paratis
Epytides longe dedit insonuitque flagello.

Motuum, qui tum exhibentur, duo sunt distinguenda genera, quorum prius, satis illud simplex, his verbis describitur:

V. 580. Olli discurrere pares, atque agmina terni
Diductis solvere choris rursusque vocati
Convertere vias infestaque tela tulere.

Haec verba ita in nostrum sermonem vertenda censeo: ‚Jene eilen in gleicher Anzahl aus einander und in je drei Abteilungen lösen sie den Zug auf, indem die Reihen sich trennen, und dann schwenken sie wieder auf Befehl ein und rücken zum Angriff vor‘. Figura pag. 14 adiecta, qualem rem animo fingam, apparebit.


Agmina igitur tria binis choris composita et deinceps instructa cogitatione nobis fingamus. Tum signo dato singuli ordines sive chori cuiusque agminis in diversas partes dextrorsus vel sinistrorsus equitant (‚chori diducuntur‘) atque ita agmen vel ‚tria agmina solvuntur‘. Iterum signo dato viam ita flectunt, ut singuli equos introrsus vertentes conversa signa inferant (‚rursusque vocati convertere vias infestaque signa tulere‘). Ubi inter se appropinquaverunt, rursus inflectentes viam ad priorem ordinem redeunt. —

Iam singula, quae difficultatem quandam interpretandi afferre possint, expediamus. Et ‚olli‘ et ‚terni‘ ad pueros cunctos spectare mihi videntur. Neque ‚terni‘ post ‚olli‘ supervacaneum esse puto, nam olli in universum significat pueros, terni ad eosdem quidem spectat, sed

ad divisos in tria agmina; pueri enim singulorum agminum in dextra parte collocati dextrorsum, in laeva sinistrorsum equos flectunt. Multo magis, quid verba significent, elucebit legentibus ‚ternis', cui lectioni auctoritas librorum non deest.

‚Chori' sunt duo ordines, ex quibus singula agmina constant, neque intellego, cur Goebel l. l. censeat, rem ita esse explicandam, ut alter chorus terna priora, alter terna posteriora contineat paria. Ita enim si intellegimus, non satis respondent verba ‚agmina terni diductis solvere choris', cum agmina potius digressione ipsorum chororum, quam duarum partium chori utriusque solvuntur. Non igitur in quattuor, sed in duas partes singula agmina dividuntur. Atque ipsis verbis ‚bis seni', quae legimus v. 561, significatum videtur, duos continuos ordines vel choros senum puerorum unumquemque ducum esse secutos.

Quae vero difficultates, si perversam illam interpretandi rationem sequimur, in ipsis motibus explicandis afferantur, infra apparebit. Qua autem re Goebel in errorem illum sit inductus, facile intellegitur. Minus recte enim interpretatur verba ‚agmine partito', cum dicit: ‚Agminis voci ibi (v. 562 ‚pueri bis seni quemque secuti agmine partito fulgent') eadem est significatio, quae in v. 580 (agmina): est turma; sententia igitur: pueri bis seni quemque sequuntur, non quidem agmine continuo, sed diviso in partes duas'. At ‚agmen' v. 562 non minus ad cunctos spectare pueros quam v. 548 s. (‚si iam puerile paratum Agmen habet secum') et agmine partito (in dem geteilten Zuge) non supervacaneum esse post ‚tres equitum numero turmae, ternique vagantur ductores', inde apparet quod aperte dicendum erat, agminis ordinem, ita ut tres turmae deinceps inequitarent, esse servatum. Neque omittendum est, quod v. 549, 562,



580 ‚agmen‘, v. 580 ‚agmina‘ est dictum. Et profecto, si Goebelii interpretationem sequentes agmen hic idem esse atque tertiam agminis partem vel turmam statuamus, ne tum quidem necesse est, ut agmine partito eadem ratione qua Goebel intellegamus. Nam sive duo chori iuxta compositi equis invehuntur, sive alter alterum sequitur, pariter ‚agmen partitum‘ dicendum est. Sed haec hactenus. —

Signum ab Epytide esse datum supra commemoravi. Sunt quidem, qui a ductoribus aut a magistris, qui v. 562 commemorantur, datum existiment, sed minus recte illos intellexisse apparet: motus enim aequalem in modum uno iubente effici oportebat, atque ipse Vergilius clarissimis verbis hoc dicit, cum Epytiden signum cursus incipiendi dantem facit, cf. v. 578 s. ‚signum clamore paratis Epytides longe dedit‘ neque temere additur ‚insonuitque flagello‘, quod equidem non ita intellegendum puto, ut signum voce datum confirmetur, sed ut flagelli sono, postquam voce cursus rationem indixit, significet, ipsum motum esse incipiendum (er giebt das Ausführungskommando).

Magistrorum partes quales fuerint, saepius non recte intellexerunt interpretes. Sed collatis aliis locis (Aen. V, 391, VIII, 515, Georg. III, 118, 185) dubitari non potest, quin magistri fuerint ii, quibus institutio puerorum fuerit curae; institutione enim vel diligentissima propter difficultatem decursionis opus erat (cf. Plut. l. l.) Magistros igitur pueros instituerunt; neque abhorret, quod v. 548 s. Ascanium instruxisse cursus equorum legimus, cum nimirum auctor atque princeps fuerit ludi exhibendi, id quod poeta his verbis dicit ‚cursus instruxit equorum‘. Cursus ipsos autem instituere atque docere erat magistrorum. Iidem decursioni, cum coram spectatoribus fieret, videntur interfuisse. Nam una cum pueris arenam equis invehuntur (v. 562) et Ascanium, cum immissis habenis castra peteret, exanimes retinere non possunt (v. 669). Quod omnino eos conari non potuisse, nisi in arena pueris interfuissent, in promptu est. Ex ipso versu 562 colligendum est, tres fuisse magistros, cum tria agmina, quibus totum agmen puerorum constat, paribus i. e. et numero et habitu aequalibus magistris fulgeant. Quem locum agminis tenuerint cogitanti mihi atque omnes in partes reputanti nullus aptior visus est locus quam iuxta primum turmae cuiusque par puerorum. (Vide fig. p. 14).

Deinde statuendum mihi videtur, non solum in arenam cum pueris ingressos esse magistros ibique inter ludum fuisse, sed etiam ipsos una cum pueris decurrisse. Apparet enim, ductorem in edendis ludis non totum agmen, sed unum chorum duxisse; nam quod nonnulli volunt, velut Goebel, ductores ad servandam lineam rectam, ne alii aberrarent, constitisse eodem loco, minime probandum mihi videtur. Quis enim est, qui cum secum reputat ductores fuisse nobilissimos inter omnes pueros, hos partes otiose consistendi putet suscepisse, id quod quolibet palo aut lapide non minus commode effectum esset; neque praetereundum est, re vera saepius Caesarum filios ludo affuisse ductores, quos quasi quiescentium partes non suscepturos fuisse nemo facile negabit. Quam perversa haec sit opinio, vel maxime apparet, si conferimus v. 667, ubi expressis verbis Ascanium duxisse turmam suam legimus (‚Ascanius, cursus ut laetus equestres ducebat‘). Ductores igitur decursionem cum ceteris inierunt. Quo posito dubium esse non poterit, quin alterius quoque chori aliquis dux fuerit. Cursus enim cum ita fierent,

ut summa convenientia partium sive *συμμετρία* quam Graeci dicunt, servaretur, sine dubio par fuit numerus puerorum, qui chori cuiusque erant. At cum perdifficile esset ductoris negotium, quippe qui cum lineam, qua cursus erant conficiendi, tum temporis modum, quo erant exhibendi, observaret, certe pauci erant pueri idonei, qui ducum partibus fungerentur. Huic quidem rei magistri operam navaverunt, qui ut adessent, aliis quoque de causis erat optandum; nam et ad ordinem servandum et ad casus periculaque vel declinanda, vel, si forte inciderant, levanda nemo erat magis idoneus quam ipsi magistri. Nunc quoniam demonstrasse mihi videor, cur magistros una cum pueris ludum edidisse statuendum sit, non alienum videtur monere, nostra quoque aetate non deesse exempla, quibus quae supra explicui, confirmentur. Ceterum Epytiden, qui signum dedit, unum fuisse trium magistrorum vix est, quod moneam.

Longe alia ratione, ut eos omittam, qui prioribus temporibus rem tractaverunt, de quibus Goebel l. l. disseruit, nuper F. P. Simpson in The Journal of Philology Vol. IX, No. 17, p. 101 s. rem explicandam censuit. Hic unumquodque trium agminum fuisse puerorum sex et triginta, tribus ductoribus atque uno magistro antecedente statuit; magistros autem fuisse Atyn, Priamum, Iulum, cf. figuram infra descriptam, quae ter repetenda est, quod omnino centum viginti esse pueros ille existimat. Quam interpretandi rationem ut iniret, adductus est v. 560, ubi legitur ‚tres equitum numero turmae ternique vagantur ductores', et vel maxime verbis ‚terni ductores', cum ‚terni' hic vim proprie distributivam habere censeat. Sed ut alia omittam inprimis haec monenda sunt: Si re vera magistri essent Atys, Priamus, Iulus, non ductores, omnino non intellegeres, quas partes tenerent, cum ipsi ludo interesse non possent; vix enim ullus locus relinquitur, quem tenere potuerint. Nam tamquam custodes eos adstitisse nemini persuadebitur. Accedit quod expressis verbis et Priamum et Ascanium ‚ducentes' facit poeta (v. 563, 667) atque hoc loco ductori Ascanio opponitur magister; pergitur enim ‚nec exanimes possunt retinere magistri, neque dubium est, quin magistri fuerint viri vel iuvenes. Denique intellegi non posset, quid sibi vellet (v. 561 s.) ‚bis seni quemque secuti agmine partito fulgent p a r i b u s- q u e m a g i s t r i s'. Nam bis seni nonne duos potius ordines senorum puerorum quam unum ordinem duodecim puerorum significat? Hoc si poeta dicere voluisset, voce ‚duodeni', quae non minus quam bis seni cum versus numero convenit, sine dubio usus esset (cf. Georg. I, 232). Praeterea quid sibi vult ‚agmine partito', quid ‚paribus magistris', cum non ordo bis senorum puerorum fulgeat paribus magistris, sed totum agmen habeat unum magistrum, aut Atyn aut

---

× · · · · · · · · · · · · (pueri bis seni)
+ × · · · · · · · · · · · · „
× · · · · · · · · · · · · „

× (ductores terni.)
+ magister (Atys aut Priam. aut Iul.)

